Morbio 23 (139)

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

INNOCENTIUS eps servus servorum dei Dilecto filio Nobili Viro Georgio Nata Militi
Asten. Salt et aplicam ben. Sincere devotionis affectus quem ad nos et Roman. ecclesiam gerere comprobaris necnon generis nobilitas multiplicaque dona virtutum
quibus personam tuam earum largitor dominus insignivit merito nos inducunt ut te filios et heredes tuos specialibus favoribus et gratiis attolentes etiam dignioris nuncu
pationis titulo decoremus. Hinc est quod nos intendentes te qui nuper pro dilecto filio Nobili Viro Bonifacio Marchione Montisferrati pro obedientia nobis et aplice
sedi prestanda orator destinatus fuisti quique negotium huiusmodi prudenter fideliter et eleganter peregisti necnon filios ex te ~~[...]~~ legitime descen
dentes meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratie specialis ad perpetuam tui filiorumque ~~[...]~~ predictorum honorem decus et gloriam. Motu proprio non
ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantia sed de nra mera liberalitate te Militem aplicum et Comitem palatinum palatii nri Lateranen.
auctoritate aplica tenore presentium facimus creamus et constituimus ac numero Militum et Comitum auctoritate predicta specialiter aggregamus et sic deinceps
perpetuo te ab omnibus censeri pariter et nominari volumus promdeque posse ac debere omnibus et singulis honoribus immunitatibus privilegiis et exemptionibus quibus
Milites et Comites Palatini Lateranen. hactenus uti et gaudere quomodolibet potuerunt et debuerunt seu possunt et debent de consuetudine vel de iure / volentes preterea
illa tibi concedere per que te aliis valeas reddere gratiosum tibi quod adhibitis tecum Duobus in altero vel in utroque doctoribus concedendi doctoratus gradum in
utroque seu in altero iurium Duodecim personis duntaxat secularibus vel ecclesiasticis quas ad id ydoneas de consilio et assensu aliorum doctorum predictorum esse
repereris doctoratus gradum cum honoribus insignibus et preeminentiis consuetis necnon potestate et auctoritate docendi interpretandi iudicandi ac diffiniendi omniaque alia et singula
faciendi exequendi que quilibet doctor qui in quavis Universitate studii generalis doctoratus gradum hactenus recepit facere et exequi potest quomodolibet de consuetudine vel de iure nec
non omnibus aliis personis quas ad id elegeris etiam si earum alique coniugate vel in sacris ordinibus constitute fuerint si eas ad illud post diligentem examinationem ydoneas esse repereris
iuramento prius ab earum singulis iuxta formam presentibus annotatam recepto plenam et liberam Tabellionatus officium conferendi tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem quod
etiam tu in manibus dilecti filii Raphaelis sancti Georgii Diaconi Cardinalis Camerarii nri seu eius locumtenentis fidelitatis debite solitum prestes iuramentum. Forma autem iuramenti quam dicti
Tabelliones prestabunt talis est. Ego N. clericus dioc. etc. ab hac hora inantea fidelis et obediens ero beato Petro et sancte Roman. eccl. ac domino domino Innocentio pp. viii et
successoribus suis canonice intrantibus non ero in consilio auxilio consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum vel capiantur mala captione consilium quod michi per se vel
litteras aut nuntium manifestabunt ad eorum damnum scienter nemini pandam. Si vero aliquid ad mea notitia devenire contingat quod in periculum Roman. pontificis aut eccle. Roman.
vergat seu grave damnum illud pro posse impediam et si hoc impedire non possem procurabo bona fide id ad notitiam dni pp. perferri. Papatum Roman. ac Regalia sancti Petri et iura ipsius eccle.
specialiter si qua eadem eccl. in Civitate vel terra de qua oriundus sum habeat adiutor eis ero ad defendendum et retinendum seu recuperandum contra omnes homines. Tabellionatus officium fideliter
exercebo contractus in quibus exigitur consensus partium fideliter faciam nil addendo vel minuendo sine voluntate partium quod substantiam contractus immutet. Si vero in conficiendo aliquod
instrumentum unius solius partis sit requirenda voluntas hoc ipsum faciam ut scilicet nil addam vel minuam quod immutet facti substantiam contra ipsius voluntatem instrumentum non
conficiam de aliquo contractu in quo sciam intervenire vim vel fraudem. Contractus in prothocollum redigam et postquam in prothocollum redegero maliciose non differam contra voluntatem illorum
vel illius quorum vel cuius est contractus super eo conficere publicum instrumentum salvo meo iusto et consueto salario. Sic me deus adiuvet et hec sancta dei evangelia. Nulli ergo omnino
hominum liceat hanc paginam nre creationis constitutionis aggregationis concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pre
sumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri ac Pauli Aplorum eius se noverit incursurum. Dat. Rome apud Sanctumpetrum Anno Incarnationis dominice
Millesimoquadringentesimooctuagesimoquinto Septimo Id. Julii Pontificatus nri Anno Primo.

Junii

L. Grifus

… xx. annis anno …

…

1494 9/VII

… de … [illegible]

a

Iste DAINEAM APULIA

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Morbio 23 (139)

De Harma

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1859457878-19/fragment/page=0002